




Exequiarum solennitati

VIRI

Reverendi, Clarissimi, Virtute ac Doctrinâ præstantissimi,

DN. FAUSTINI BLENNONIS,

Ecclesiastæ, Stetini ad D. Nicolai, meritissimi, & SS. Ministerij in ead. urbe Senioris spectatissimi;

Nati Stetini, Anno CHRISTI 1582. d. 8. Februarij, denati ibidem d. 7. Novembr. Anni labentis 1641. ætatis suæ A. 59. m. 9. communi omnium matri Terræ restituendi in Templo JACOBO sacro, d. 16. ejusdem Novembr.

Ut

Omnes & singuli in Illustri Pædagogio Studiosi Juvenes, frequentes & condolentes intersint, hortatur, vacante Rectoris loco,

M. HEINR. KIELMANNUS, ejusd. Pæd. ConR. Gr. L. & Poës Prof.

STETINI, Typis GEORGII GOETSCHII, ANNO 1641.



ITA est ingenium hominis, in præsentes
calamitates animo atq; oculis acerrimè
intuentis, ut humeris suis onera ἀβά-
στακτα & mala ἀνίατα sufferre sibi videa-
tur: in primis verò, cùm cadaverosa
mortis facies, in parentibus, liberis, conjugibus, pro-
pinqvis & amicis nostris dulcißimis, velut in speculo
qvodam contemplanda nobis obijcitur. Hinc illæ la-
chrymæ largißimæ; hinc creberrima suspiria, & ani-
mi perturbationes vehementißimæ. Ab hoc truculen-
to aspectu avocat nos CHRISTUS per Verbum gra-
tiæ, convertens mentis oculorumq; nostrorum aciem
ad consideratione͂ & contemplationem vitæ, sub mor-
tis temporalis veluti larvâ latitantis: qvam larvam
tragicam, ut verè dici potest, qui in firmißimâ er-
ga CHRISTUM fiduciâ perseverantes induunt, sub
specie tam horrendâ absconditam vitam unà appre-
hendunt, ac vincentem mortem admirabili triumpho
vincunt & ipsi. Ita fit, ut ad externi hominis judicium
& sensum moriamur; secundum verò interni ratio-
nem & censum veram vitam vivere incipiamus.
Nam credentium mors, ut verbô consolationis plenis-

ſimô ac jucundisſimô utar, non eſt mors, ſed ὁδὸς τῆς ἀναστάσεως, id eſt, via reſurrectionis. Atq; hanc reſurrectionis viam ante paucos quoq; dies ſpiritu planè exultabundo ingreſſus eſt Vir Reverendus, Clarisſimus & Eruditisſimus, Dn. FAUSTINUS BLENNO, Eccleſiaſtes ad D. Nicolai meritisſimus, & SS. Miniſterij in hac urbe Senior ſpectatisſimus, quem à latere noſtro mortis violentiâ avulſum, nobiscum multi ejus amantisſimi dolent & queruntur.

Lucem hujus mundi primulùm aſpexit ὁ μακαρίτης STETINI, Anno CHRISTI ſupra milleſimum quingenteſimum octogeſimo ſecundo, d. 8. Februarij, poſt horam 9. veſpertinam. Pater ipſi contigit Vir Reverendus, Clarisſimus & Humanisſimus, Dn. JOHANNES BLENNO, qui partim in eadem Eccleſia Stetinenſi ad D. Nicolai, partim in Iſingerenſi, per annos 50. Miniſter Verbi fuit fidelisſimus: Mater, pietatis & virtutis laude præ cæteris decorata, URSULA Jaſters: Avus paternus, Vir Reverendus, Clariſs. & Eximius, Dn. M. FAUSTINUS BLENNO, Paſtor & Præpoſitus Eccleſiæ Pyritzenſis optimè meritus, qui inter Repurgatores Doctrinæ Evangelicæ haud poſtremus hisce in locis fuit, atq; inde etiam perſecutiones ſuſtinuit gravisſimas. Hi parentes filium ſuum ab ipſa ſtatim pueritia, tam in privatis ædibus, quàm in ſchola Senatoria, bene & fideliter informari curarunt.

Anno

Anno CHRISTI 1596. ætatis suæ 15. missus est ὁ ἐν ἁγίοις in celeberrimum Borussorum Gymnasium THORUNIENSE; ubi quadriennium integrum sedulam Studijs navavit operam, simulq; linguam Polonicam ita exactè addidicit, ut non rarò in partibus & officijs quoq; Ministerialibus rectè & salutariter uti eâ posset.

Anno 1600. in inclytam Academiam ARGENTORATENSEM sese contulit; ubi biennium commoratus, Clarissimorum Professorum, D. MELCHIORIS JUNII, D. HAFENREUTERI, D. NASSERI, D. PAPPI, & aliorum, operâ publicâ & privatâ magno cum fructu usus est. Dehinc peregrinandi amore HELVETIAM, nec non superiorem & inferiorem ALSATIAM perlustravit. Mox, cursu hoc feliciter confectô, almam WITEBERGAM, luculentô à Dn. D. Pappo ornatus testimoniô, adijt; ibiq; sub Viris summis, D. HUNNIO, D. MYLIO, D. HUTTERO, D. JACOBO MARTINI &c. egregios in studio Philosophiæ & Theologiæ progressus fecit. Quin & sub institutione D. LAURENTII FABRICII eam Linguarum Orientaliũ, Hebraicæ præsertim & Syriacæ, notitiam sibi comparavit, ut non solùm ad suum usum illas transferre, sed alios etiam dextrè informare ijsdem posset. Unde etiam tam Witebergæ, quàm postea in patria, inter alios muneris Ecclesiastici labores, Col-

 legia

legia Hebraica & Syriaca, in gratiam Studiosæ Juventutis, operam hanc ab ipso desiderantis & expetentis, aperire solitus est. Exactô VViteberga quinquenniô, â Dn. parente p. m. sene tunc temporis imbecilli ac debili, & annum jam ætatis 78. agente, domum revocatus est; ibiq; dictus parens, laborum suorum sublevandorum causâ, filium hunc, tanquam officij socium, sibi adjunxit: cui etiam noster piè defunctus A.C. 1607. ætatis suæ 26. in eodem officio, unanimi Dnn. Patronorum consensu legitimè vocatus, dignissimè successit. Et pater quidem annos 36, filius verò 34, atq; ita uterq; annos 70 in eadem Ecclesia ad D. Nicolai SS. Ministeriô bene & laudabiliter functus est.

Vitam τȣ̃ μακαρίτȣ privatam & Conjugia quod spectat, Anno 1608. uxorem duxit, lectissimam & pudicissimam Virginem ANNAM, Viri quondam Spectatiss. & Prudentiss. Dn. GEORGII MADERI, Consulis Reipubl. Pyritzensis bene meriti, filiam dilectissimam: cum qua in conjugio suavi ac tranquillo vixit annos 13. & ex ea octo suscepit liberos, quinq; filios, & tres filias: è quibus duo tantùm filij etiamnũ in vivis sunt; nim. Dn. FAUSTINUS, Pastor ad D. Gertrudis fidelissimus; & Dn. DAVID, qui vices Dn. parentis, diuturnô morbô detenti, summa fide & industriâ hactenus obijt. Hi ut diutissimè floreant & Ecclesiæ CHRISTI inserviant, animitus precamur.

Primâ

Primâ Conjuge Anno 1620. piè demortuâ, noster ὁ ἐν ἁγίοις Anno ſequenti 1621. alterum matrimonium inijt cum fœmina boneſtisſima & cultisſima MARIA Banckern/ *Viri quondam Præſtantisſimi & Integerrimi, Dn.* CASPARI BENTERI, *Civis & Mercatoris Neoſtadienſis in Sileſia primarij, relictâ Viduâ: cum qua etiam reciproco concordiæ & amoris affectu annos exegit octo, & duos genuit liberos, filium & filiam: qui ambo prææmaturâ morte abrepti, apud beatos cœlites jam vivunt.*

Hac altera quoq; Conjuge Anno 1629. piè defunctâ, ipſe Anno 2630. tertiam uxorem duxit, caſtisſimam & florentisſimã Virginem ELISABETHAM, *Viri quondam Amplisſ. & Prudentisſ. Dn.* VALENTINI VVILHELMI, *Ducalis Pomeranici & Megaloburgici Quæſtoris Provincialis, filiam relictam, nunc Viduam mœſtisſimam: cum qua ſterile quidem, mutui tamen amoris & ſuavitatis plenum babuit conjugium annos 11. Porrò ſalutarẽ illum calicem* DOMINI *per omnem vitam ſæpius guſtavit. Quantum enim dolorem ex obitu duarum Conjugum ac tot liberorum perceperit, illi ſoli intelligunt, qui ſimilem gravisſimorum caſuum acerbitatem experti ſunt. Quinquies, per intervalla quædam annorum, lues peſtifera familiam ipſiꝰ infeſtavit, cladesq; miſerrimas eidem attulit, ita ut ter domô ſuâ cedere coactus fuerit. Quid dicam de morbis varijs & multiplicibꝰ, cum*

qui-

quibus toties colluctandum ei fuit? Tandem verò anno superiori, lento quodam morbô laborare cœpit, contra cujus pertinaciam cùm nihil proficerent medicamenta pretiosissima, vires corporis indies paulatim absumptæ exhaustæq; sunt. Durante morbo piam patientiam sermone & opere testatus est, & crebrò cum Paulo Apostolo inter suspiria ardentissima dixit: Cupio dissolvi, & esse cum CHRISTO: & cum pio Simeone: Nunc dimittis servum tuũ DOMINE &c. donec proximô d. 7. Novembr. post horam 4. vesp. Creatori & Redemptori suo animam non tantùm commendavit, sed etiam placidè corporis ergastulô liberatã reddidit; ut ita eodem tempore, quo antea concione sua publicè finitâ domum redire consueverat, vitæ etiam suæ in his terris terminum consequeretur, exactis inter mortales annis 59. mensibus 9. Nunc amplexui CHRISTI sui, in æternum non divellendus, inhæret, & devicto mortis terrore ac impetu cum omnibus Electis magnificè triumphat.

Quod superest, ut exanimi ejus corpori ultimus honor exhibeatur, hortamur Studiosos Juvenes omnes & singulos, ut hora 2. pomerid. in Auditorio majori frequentes conveniant, ritum funebrem suâ præsentiâ unà cum Præceptoribus condecoraturi. Officium istud cùm gratitudini & reverentiæ erga SS. Ministerium, tum humanitati & Christianæ pietati maximè convenit. Publ propos. anno & die, ut suprà.

